

verunt sibi : exclamavit qui misit digitos in compunctum
latus, et ait : « Dominus meus et Deus meus¹. » Misericordia pro illo mortuus erat, et veritate ad illum resurrexerat. « Misit de caelo misericordiam suam et veritatem » suam : et eruit animam meam de medio catulorum leonum. » Qui sunt catuli leonum ? Populus ille minutus, male deceptus, male seductus a principibus Judæorum : ut illi leones, illi catuli leonum. Omnes fremuerunt, omnes occiderunt. Audituri enim sumus hic et caedem ipsorum, modo in consequentibus versibus Psalmi hujus.

XI. « Et eruit, inquit, animam meam de medio catulorum leonum. » Quare dicis, « Et eruit animam meam? » Quid enim passus eras, ut erueretur anima tua? « Dormivi » conturbatus. » Expressit Christus mortem suam. Certe de illo David legimus quod fugerit in speluncam², non tamen quia dormivit in spelunca. Alius David est in spelunca, alius David est qui dicit : « Dormivi conturbatus. » Videmus perturbationem ipsius; non illo turbato, sed illis turbantibus. Turbatum se enim dixit, secundum opinionem frementium, non secundum credentis conscientiam. Putaverunt se illi turbasse, putaverunt vicisse : ille autem dormivit conturbatus. Tam placatus erat iste turbatus, ut quando vellet, dormiret. Nemo dormit turbatus : omnes qui perturbantur, aut a somno excitantur, aut in somnum vergi non permittuntur. Ille autem turbatus est, et dormivit. Magna humilitas perturbati, magna potestas dormientis. De qua potestate veniebat quod dormivit? De qua ipse dicit : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam : nemo tollit eam a me; sed ego eam pono, et iterum sumo eam³. » Turbaverunt illi, et dormivit ipse. « Cujus

¹ Joan. xx, 28. — ² 1 Reg. xxiv, 4. — ³ Joan. x, 18.

» typum gerebat Adam, quando immisit ei Deus soporem ut de latere conjugem faceret⁴. » Num enim non poterat uxorem facere primo homini etiam de latere vigilantis? aut propterea voluit eum dormire, ne sentiret cum sibi costa detraheretur? Postremo, quis ita dormit, ut osse sibi convulso non expergiscatur? Qui potuit sine dolore auferre costam dormienti, potuit et vigilantis. Sed quare voluit dormienti facere? Quia dormienti Christo in cruce facta est conjux de latere. Percussum est enim latus pendentis de lancea⁵, et profluxerunt Ecclesiae Sacramenta. « Dormivi, inquit, conturbatus. » Et in alio Psalmo manifestat hoc, ubi ait : « Ego dormivi, et somnum cepi⁶. » Ibi expressit potestatem suam. Poterat et illic dicere : « Dormivi, » sicut dixit hic. Quid est autem, « Ego dormivi? » Id est, quia volui, dormivi. Non illi me in somnum nolentem compulerunt; sed mea voluntate ego dormivi, secundum illud : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam⁴. » Propterea ibi sequitur, et dicit : « Ego dormivi, » et somnum cepi, et exurrexi, quoniam Dominus suscipiet me⁵. »

XII. « Dormivi conturbatus : » Unde turbatus? quibus turbantibus? Videamus quomodo inurat malam conscientiam Judæis, volentibus excusare se ab interfectione Domini. Nam propterea eum, sicut loquitur Evangelium, judici tradiderunt, ne ipsi eum occidisse viderentur. Cum enim dixisset eis iudex tunc Pilatus : « Accipite eum vos, et » secundum legem vestram judicate eum : responderunt : « Nobis non licet interficere quemquam⁶. » Interficere non licet, tradere interficiendum licet? Quis autem occidit? Qui audito clamore cessit, an qui clamando ut occideretur ex-

¹ Gen. ii, 21. — ² Joan. xix, 34. — ³ Psal. iii, 6. — ⁴ Joan. x, 18. — ⁵ Psal. iii, 6. — ⁶ Joan. xviii, 31.

torsit? Ipse Dominus dicat testimonium a quibus occisus est, utrum ab illo Pilato, qui nolens eum occidit: unde etiam eum flagellavit, et veste ignominiosa induit, et flagellatum ad eorum oculos produxit¹, ut saltem poena flagellorum ejus satiati eum occidi non extorquerent. Propterea etiam cum videret eos perseverare, sicut legimus, lavit manus suas, et dixit: « Innocens ego sum a sanguine justi hujus². » Videris utrum ille innocens, qui vel cessit clamantibus: multo magis tamen illi nocentes, qui clamando eum occidere voluerunt. Sed nos interrogemus et audiamus Dominum, quibus tribuat mortem suam, quia dixit: « Dormivi turbatus. » Interrogemuseum, et dicamus: Quoniam dormisti turbatus, qui te persecuti sunt? Qui te occiderunt? Numquid forte Pilatus, qui militibus dedit in ligno suspendendum, clavis transfigendum? Audite qui: « Filii » hominum. » Illos utique dicit, quos persecutores passus est. Sed quomodo ipsi occiderunt, qui ferrum non ferebant? Qui gladium non strinxerunt, qui impetum in eum non fecerunt ad occidendum, unde occiderunt? « Dentes » eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Noli attendere inermes manus, sed os armatum: inde gladius processit, quo Christus occideretur; quomodo et de ore Christi, unde et Judæi occiderentur. Habet enim ille gladium bis acutum³, et resurgens percussit eos, et divisit ab eis quos faceret fideles suos. Illi malum gladium, ille bonum: illi sagittas malas, ille bonas. Nam habet et ipse sagittas bonas, verba bona, unde sagittat cor fidele, ut ametur. Ergo aliæ istorum sagittæ, et alius istorum gladius. « Fiii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta. » Lingua filiorum hominum machæra acuta, et dentes eorum arma et sagittæ. Quando

¹ Joan. xix, et seq. — ² Matth. xxvii, 24. — ³ Apoc. i, 16.

ergo percusserunt, nisi quando clamaverunt: « Crucifige, » crucifige¹? »

XIII. Et quid tibi fecerunt, o Domine? Exultet hic Propheta. Superius enim omnes illos versus Dominus loquebatur: Propheta quidem, sed ex persona Domini, quia in Propheta Dominus. Et quando loquitur ex persona sua Propheta, ipse Dominus loquitur per eum, qui ei dictat veritatem quam loquatur. Modo ergo ex persona Prophetæ, audite, fratres mei. Vidit Dominum in Spiritu iste Propheta humiliatum, cæsum, flagellatum, colaphis percussum, expalatum manibus, sputis illitum, spinis coronatum, ligno suspensum: illos sævientes, illum tolerantem; illos exultantes, illum quasi victum vidit in Spiritu: et post illam jam omnem humiliationem, et illorum furorem, resurrexisse eum, et illa omnia quæ fecerant Judæi sævientes facta esse inania; et elatus gaudio, tanquam videret fieri: « Exaltare, inquit, super cælos » Deus². » Homo in cruce, et super cælos Deus. Remaneant in terra sævientes, tu in cælo esto judicans. Ubi sunt qui furebant? ubi sunt dentes eorum arma et sagittæ? Nonne sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum. Alio enim loco Psalmus hoc dicit, volens eos ostendere inaniter sævisse, et inaniter in furias præcipitatos esse: quoniam nihil potuerunt facere Christo ad horam crucifixo, et postea resurgenti, atque in cælo sedenti: « Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum³. » Quomodo infantes faciunt sibi sagittas? De cannis? Sagittæ autem quæ? aut quæ vires? aut qui arcus? aut qui ictus? aut quod vulnus? « Exaltare super cælos Deus, et super omnem terram » gloria tua. » Ut quid exaltaris super cælos Deus? Fratres, exaltatum Deum super cælos non videmus, sed credimus: super omnem autem terram gloriam ejus non

¹ Matth. xxvii, 4, et Joan. xix, 6. — ² Psal. lvi, 6. — ³ Id. lxxii, 8.

tantum credimus, sed etiam videmus. Qualem vero vesaniam patiantur hæretici, quæso ut attendatis. Illi præcisi a compagine Ecclesiæ Christi, et partem tenentes, totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, qua diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, quia omni terræ communicamus quacumque gloria Christi diffusa est. Videmus enim quod tunc cantatum est, modo completum. Exaltatus est super cœlos Deus noster, et super omnem terram gloria ipsius. O hæretica insania? Quod non vides credis mecum, quod vides negas: credis mecum exaltatum Christum super cœlos quod non videmus; et negas gloriam ejus super omnem terram, quod videmus. « Exaltare super cœlos, » Deus, et super omnem terram gloria tua. »

XIV. Redit ad verba Domini: et ipse Dominus narrare nobis incipit, tanquam alloquens nos, exultante etiam Propheta et dicente: « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. » Confirmat nos et ipse tanquam dicens nobis: Quid mihi facere potuerunt illi qui me persecuti sunt? Quare autem nos alloquitur? Quia faciunt et nobis. Sed nihil faciunt qui nos similiter fuerint persecuti. Videat enim Charitas Vestra alloquentem nos Dominum, et exhortantem nos exemplo suo. « Muscipulam » paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam » meam¹. » Voluerunt illam quasi de cœlo deponere, et ad inferiora deprimere: « Curvaverunt animam meam: » foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt » in eam. » Mihi nocuerunt, an sibi? Ecce ille exaltatus est super cœlos Deus, et ecce super omnem terram gloria ipsius: regnum Christi videmus, ubi est regnum Judæorum? Quoniam ergo fecerunt quod facere non debuerunt, factum est in illos quod pati debuerunt: « Ipsi foderunt

¹ Psal. LVI, 7.

» foveam, et ipsi inciderunt in eam¹.» Quod enim persecuti sunt Christum, Christo non obfuit, sed ipsis obfuit. Et nolite putare, fratres, ipsis solis hoc accidisse. Omnis qui parat foveam fratri suo, necesse est ut ipse incidat in eam. Intendite, fratres mei, christianos oculos habete, nolite decipi visibilibus. Forte enim alicui vestrum, quia hoc dixi, subvenit modo aliquis qui voluit fratri suo fraudem facere, et voluit ei aliquas insidias machinari, et machinatus est, et implevit, et cecidit frater in insidias ejus, et spoliatus est, aut pressus est, sive carcere, sive falso testimonio, sive aliqua nefaria criminatione circumventus: videtur autem iste oppressus, ille oppressisse; iste victus, ille vicisse; et falsum putatur quod diximus, quoniam quicumque foveam paraverit fratri suo, ipse cadit in eam. Interrogo vos tanquam Christianos, ut sumatis exemplum de his quæ jam novimus. Pagani persecuti sunt Martyres, et Martyres capti sunt, ligati sunt, in carcerem missi sunt, bestiis subrecti sunt, alii ferro percussi, alii ignibus concremati: vicerunt persequentes, et victi sunt Martyres? absit. Quære gloriam Martyrum apud Deum, quære foveam paganorum in confossa conscientia: ibi est enim fovea quo cadit impius, in conscientia mala. Putas eum in foveam non cecidisse, qui lucem Christi perdidit, et cæcitate percussus est? Si non caderet in foveam, videret ante se: nescit qua eat, quomodo qui ambulat in via cum ceciderit in foveam, perdidit viam. Videtis ergo omnes malefactores perdidisse viam, implicatos facinore. Sed jam te tradidit in manus forte latronis, aut in manus alicujus injusti vel circumventi a se judicis, et tu in pressura es, ille lætatur, ille exultat. Noli, jam dixi, noli habere oculos paganorum: christianos oculos habe. Vides illum qui exultat: ipsa exultatio

¹ Psal. LVI, 7.

est fovea ipsius. Melior est enim tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. Ipsa lætitia iniqua facientis, ipsa est fovea: illuc quisque cum ceciderit, oculos perdit. Te doles, quia perdidisti vestem; et illum non doles, quia perdidit fidem? Quis vestrum graviore damno percussus est? Ecce ille occidit, tu occideris: vivit ille, tu mortuus es? absit. Ubi est fides Christianorum? ubi est ille qui moritur ad tempus? Audiatur Dominum suum: « Qui credit in » me, licet moriatur, vivit¹. » Ergo qui non credit, licet vivat, mortuus est. « Foderunt ante faciem meam foveam, » et ipsi inciderunt in eam. » Omnibus malis necesse est ut hoc contingat.

XV. Bonorum autem patientia præparatione cordis excipit voluntatem Dei, et gloriatur in tribulationibus, dicens quod sequitur: « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psallam². » Quid fecit mihi? Paravit foveam, cor meum paratum est. Ille paravit foveam ad decipiendum, ego cor non parabo ad perpetiendum? Ille paravit foveam ad opprimendum, ego cor non parabo ad tolerandum? Propterea ille incidet in eam, ego autem cantabo et psallam. Audi cor paratum in Apostolo, quia imitatus est Dominum suum: « Gloriamur, inquit, » in tribulationibus; quia tribulatio patientiam operatur, » patientia probationem, probatio spem, spes vero non » confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus » nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis³. » Erat in pressuris, in catenis, in carceribus, in plagis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in omni vastatione laborum et dolorum⁴, et dicebat: « Gloriamur in tribulationibus. » Unde, nisi quia paratum est cor ejus? Ideo cantabat et psallebat. « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam. »

¹ Joan. xi, 25. — ² Psal. lvi, 8. — ³ Rom. v, 3-5. — ⁴ 2 Cor. xi, 27.

XVI. « Exurge gloria mea¹. » Ille qui fugerat a facie Saül in speluncam: « Exurge gloria mea: » glorificetur Jesus post passionem. « Exurge psalterium et cithara. » Quid vocat, ut surgat? Duo organa video: corpus autem Christi unum video, una caro resurrexit, et duo organa surrexerunt. Alterum ergo organum psalterium, alterum cithara. Organa dicuntur omnia instrumenta musicorum. Non solum illud organum dicitur, quod grande est, et inflatur follibus; sed quidquid aptatur ad cantilenam, et corporeum est, quo instrumento utitur qui cantat, organum dicitur. Distincta sunt autem inter se ista organa; et volo, quantum Dominus dat, indicare vobis, et quomodo distincta sunt, et quare distincta, et quare utrique dicitur: « Exurge. » Jam diximus, una caro Domini resurrexit; et dicitur: « Exurge psalterium et cithara. » Psalterium est organum, quod quidem manibus fertur percutientis, et chordas distentas habet, sed illum locum unde sonum accipiunt chordæ, illud concavum lignum quod pendet et tactum resonat, quia concipit aërem, psalterium in superiore parte habet. Cithara autem hoc genus ligni concavum et resonans in inferiore parte habet. Itaque in psalterio chordæ sonum desuper accipiunt: in cithara autem chordæ sonum ex inferiore parte accipiunt; hoc interest inter psalterium et citharam. Quid ergo duo hæc organa nobis figurant? Excitat enim Christus Dominus Deus noster psalterium suum et citharam suam; et dicit: « Exurgam diluculo. » Puto quia hic jam agnoscitis Dominum resurgentem. Legimus in Evangelio: videte horam resurrectionis. Quandiu per umbras quærebatur Christus? Luxit, agnoscatur; diluculo resurrexit². Sed quid est psalterium? quid est cithara? Per carnem suam Dominus duo genera factorum operatus est, miracula et

¹ Psal. lvi, 9. — ² Marc. xvi, 2.

passiones : miracula desuper fuerunt, passiones de inferiore fuerunt. Illa enim quæ fecit miracula, divina erant ; sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo divina operans, psalterium est : caro humana patiens, cithara est. Sonet psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui : iste est sonus psalterii. Sonet et cithara, esuriat, sitiatur, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. Cum ergo vides in illa carne quædam sonuisse desuper, quædam de inferiore parte, una caro resurrexit, et in una carne agnoscimus et psalterium et citharam. Et ista duo genera factorum impleverunt Evangelium, et prædicatur in gentibus : nam et miracula et passiones Domini prædicantur.

XVII. Ergo surrexit psalterium et cithara diluculo, et confitetur Domino : et quid ait? « Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in gentibus : quia magnificata est usque ad cælos misericordia tua, et usque ad » nubes veritas tua¹. » Cæli supra nubes, et nubes infra cælos : et tamen ad hoc cælum proximum pertinent nubes. Sed aliquando nubes recumbunt in montibus, usque adeo in proximo aëre conglomerantur. Cælum autem sursum est, habitationes Angelorum, Sedium, Dominatorum, Principatum, Potestatum. Illud ergo forte videatur fuisse dicendum : Magnificata est usque ad cælos veritas tua, et usque ad nubes misericordia tua. Etenim in cælo Angeli laudant Deum, videntes ipsam speciem veritatis, sine ulla caligine visionis, sine interpolatione aliqua falsitatis : vident, diligunt, laudant, non fatigantur. Ibi veritas : hic autem in nostra miseria utique misericordia. Misero enim præbenda est misericordia. Non enim opus est misericordia sursum, ubi nullus est miser.

¹ Psal. LVI, 10, 11.

Hoc propterea dixi, quia videtur congruentius dici potuisse : Magnificata est usque ad cælos veritas tua, et usque ad nubes misericordia tua. Nubes enim intelligimus prædicatores veritatis, homines portantes istam carnem caliginosam quodam modo, unde Deus et coruscat miraculis, et tonat præceptis : et ipsi sunt illæ nubes de quibus dicit Isaias ex persona Domini, increpans quamdam vineam malam, sterilem, spinosam : « Mandabo nubibus » meis, ne pluant super eam imbrem¹ : » id est, mandabo Apostolis meis, ut deserant Judæos, et non illis evangelizent, sed evangelizent, in terra bona Gentium, unde non spinæ nec rhamni, sed uvæ procedant. Novimus ergo nubes Dei esse prædicatores veritatis, Prophetas, Apostolos, omnes recte proferentes verbum veritatis et habentes in se lumen occultum, sicut habent nubes unde coruscant; homines ergo nubes. Quid sibi itaque vult, Domine : « Quia magnificata est usque ad cælos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua? » Veritas præpollet in Angelis : sed dedisti illam et hominibus, et deduxisti illam usque ad nubes. Sursum misericordia videntur Angeli non indigere : sed quia homines miseros tu miseraris, et præbendo illis misericordiam communicatione resurrectionis Angelos facis, usque ad cælos est misericordia tua. Gloria Domino nostro, et misericordie ipsius, et veritati ipsius, quia nec deseruit nos misericordia facere beatos per gratiam suam, nec fraudavit nos veritate : quia primo veritas carne operata venit ad nos, et sanavit per carnem suam oculum interiorem cordis nostri, ut eam postea facie ad faciem videre possemus². Agentes ergo illi gratias, dicamus cum ipso Psalmo ultimos versus, quos jam dudum etiam dixit : « Exaltare super cælos, Deus, » et super omnem terram gloria tua³. » Hoc enim ei dixit

¹ Isai. v, 6. — ² I Cor. xiii, 12. — ³ Psal. LVI, 12.

Propheta ante tot annos : hoc modo videmus nos ; hoc ergo dicamus et nos.

ENARRATIO

IN PSALMUM LVII.

Sermo ad plebem¹.

I. Vox quam cantavimus, audienda nobis magis est, quam clamanda. Omnibus enim tanquam in concione generis humani veritas clamat, « Si vere utique justitiam loqui » mini, recta iudicate, filii hominum². » Cui enim iniquo non facile est loqui justitiam? aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facile respondeat quid sit justum? Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, « Quod tibi non » vis fieri, ne facias alteri³? » Hoc et antequam Lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde iudicarentur et quibus Lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere volebant. Oppositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogentur; et quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scriptura : « In cogitationibus enim impij, » interrogatio erit⁴. » Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam a se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex : non quia

¹ In isto Sermone ad plebem, passim Donatistas exagitat Augustinus. —
² Psal. LVII, 2. — ³ Tob. IV, 16, et Matth. VII, 12. — ⁴ Sap. I, 9.

in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, et ad te ipsum intro revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis¹? « Redite prævaricatores ad cor². » Quis enim te docuit, nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? quis te docuit, nolle injuriam pati, et quidquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest? Multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clara voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est; et omnes facti ad imaginem Dei³, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formavit. « Quod ergo » tibi non vis fieri, noli alteri facere. » Judicas enim malum esse in eo quod pati non vis : et hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta. Faciebas, et clamabatur inter manus tuas : quomodo cogeres redire ad cor tuum, cum hoc pateris inter manus alienas? Furtum bonum est? Non. Interrogo : Adulterium bonum est? Omnes clamant : Non. Homicidium bonum est? Omnes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omnium est. Aut si adhuc non confiteris, accedit qui concupiscat rem tuam : placeat tibi, et responde quod vis. Omnes ergo de his rebus interrogati, clamant hæc bona non esse. Rursus de beneficiis, non solum de non nocendo, verumetiam de præstando atque tribuendo, interrogatur omnis anima esuriens, Famem pateris; alius habet panem, et redundat ei ultra sufficientiam, novit te egere, non dat; displicet tibi esurienti, displiceat et satiato, cum alterum esurire cognoveris. Peregrinus tecto indigens venit in patriam tuam, non suscipitur : ille tunc

¹ Rom. XI, 15. — ² Isaï. XLVI, 8. — ³ Gen. I, 26.